

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE

15-16

MARTIO-APRILI 1966

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

NOTITIAE

Commentarii ad nuntia
de re liturgica edenda cura

*Consilii
ad exsequendam Constitutionem
de sacra Liturgia*

«Notitiae» prodibunt die 15 cuiusque mensis. Libenter, iudicio Directionis, nuntium dabitur Auctorum, inceptum, editionum in re liturgica, praesertim e Coetibus Episcoporum vel Commissionibus liturgicis nationalibus emanantium, si scriptorum vel periodicorum exemplar missum fuerit.

Directio: Commentarii sedem habent in Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manuscripta, his verbis inscripta:
NOTITIAE, Città del Vaticano

*Administratio autem residet apud
Libreria Editrice Vaticana
Città del Vaticano*

Pro commentariis sunt in annum solvendae:

in Italia lit. 2.000
extra Italiam lit. 3.000 (§ 5)
Singuli fasciculi veneunt:
lit. 200 (§ 0,35)

Volumen I (1965): lit. 4.000 (§ 7)
linceo confectionum: Lit. 5.000 (§ 8,40)

Singuli fasciculi anni I:
lit. 400 (§ 0,70)

★

In Italia pecunia mittenda est per
C.c.p. N. 1/16722

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

15-11

SUMMARIUM

Musica Sacra in Instauratione liturgica 65

Acta Consilii

Summarium Decretorum quibus deliberationes Coetuum Episcoporum confirmantur 66

Summarium Decretorum quibus confirmantur interpretationes populares priorum Religiosorum 73

Decreta quibus facultas datur omittendi Horam Primam 75

Ordo lectionum per ferias 76

Labores Coetuum a studiis: De lectionibus historicis et de textibus historicis (P. Baldunus de Gaiffier, SJ) 77

De Missis votivis (P. Hermannus Schmidt, SJ) 80

In nostra familia 83

Sacra Congregatio Rituum

Instructio de lingua in celebrandis Officio divino et Missa «Conventuali» aut «Communitatis» apud Religiosos adhibenda 84

Commentarium 88

Communicatio circa peculiarem intentionem in orationem fidelium inserendam 94

De celebratione Missae pro Iubilaeo extraordinario diebus liturgicis I classis 94

Studia

Un Centre National de pastoral liturgique le C. N. P. L. (Gaston Fontaine) 95

De generibus literariis textuum liturgicorum eorum interpretatione eorumque usu liturgico (A. M. Roguet, OP) 106

Bibliographica 118

Varia 120

MUSICA SACRA IN INSTAURATIONE LITURGICA

Decimo recurrente anno ab initia publicatione periodici italici Musica Sacra, Em.mus D. Card. Amlethus I. Cicognani, Secretarius Status Summi Pontificis, Rev.mo Moderatori praedicti periodici Epistolam misit, qua peculiare munus musicae sacrae, in instauratione liturgica a Concilio promota, illustratur:

“ Le norme conciliari, mentre hanno solennemente riconfermato tutta l'importanza del « compito ministeriale della musica sacra nel servizio divino » (Costit. Liturgica, n. 112), nello stesso tempo ai cultori di essa hanno aperto nuove prospettive e nuovi problemi, specialmente per quanto riguarda la partecipazione attiva dei fedeli alla preghiera pubblica per mezzo del canto. Partecipazione che sollecita bensì la ricerca di nuove forme espressive sempre più adatte alla preghiera del popolo, ma richiede anche che sia salvaguardata costantemente in ogni composizione la dignità di vera arte. Mai infatti bisogna dimenticare che insieme all'afflato religioso, la musica sacra — come già ammoniva San Pio X — deve possedere quale nota fondamentale « la bontà delle forme » (*Acta Pii X*, vol. I, p. 77), non potendo altrimenti assolvere il nobilissimo compito di apportare solennità e decoro alle celebrazioni liturgiche e di condurre le anime a un più intimo contatto con le cose divine.

Far sentire perciò una parola autorevole ai compositori sacri in questa fase di ricerche e di esperimenti, richiamare l'attenzione sul valore apostolico del loro contributo, incoraggiare le buone iniziative, suscitare energie nuove: ecco gli importanti compiti, che oggi più che mai attendono la sua benemerita Rivista ”.¹

¹ *Musica Sacra*, n. 1, 1966, pp. 4-5.

SUMMARIVM DECRETORVM
QVIBVS DELIBERATIONES COETVVM
EPISCOPORVM CONFIRMANTVR

(a die 15 dec. 1965 ad 10 febr. 1966)

EUROPA

Anglia-Cambria

V. Decreta particularia:

1. *Cardiffensis* (20 dec. 1966; Prot. n. 3984/65): sequentes textus lingua cambrensi exarati confirmantur: Lectionarium pro diebus dominicis et festis: *Y Llythiau sul* (1941); *The Morgan Bible*; Proprium Missarum pro diebus dominicis et festis, praefationes, *Sanctus-Benedictus*, monitio ante orationem dominicam, embolismus et formula dimissionis, excerpta Ritualis romani, ab Archiepiscopo proposita.

Gallia

- I. Documenta: 20 et 23 dec. 1965 (Prot. n. 4254/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Textus praefationum, orationis dominicae et benedictionis pontificalis, a Coetu Episcoporum propositi.

V. Decreta particularia:

24. **Baionensis** (21 ian. 1966, Prot. n. 107/66; 9 febr. 1966, Prot. n. 325/66), confirmantur libri missales *Irakurgaiak*, VIII (Belloc 1965) et *Sainduen Mezak*, I (Belloc 1966), lingua vasconica exarati.
25. **Versaliensis** (26 ian. 1966, Prot. n. 4165/65), confirmatur interpretatio gallica lectionum historicarum Officii de s. Ludovico Rege.

Germania

V. Decreta particularia:

5. **Spirensis** (14 ian. 1966, Prot. n. 64/66), confirmatur interpretatio germanica Proprii Missarum dioeceseos.

Graecia

I. **Documenta:** 7 febr. 1966 (Prot. n. 236/66 et 339/66).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. **IN MISSA:** praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. **MISSALIA:** Textus praefationum; et orationum ac cantuum Proprii Missarum pro tempore Septuagesimae et dom. I Quadragesimae a Coetu Episcoporum propositi.

Helvetia

I. **Documenta:** 7 febr. 1966 (Prot. n. 304/66).

III. Partes quae lingua vulgari proferri possunt:

1. **IN MISSA:** praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Textus praefationum lingua germanica, gallica et italica pro dioecesibus Germaniae, Galliae et Italiae iam probati.
2. RITUALIA:
lingua germanica:
Textus formularum essentialium Sacramentorum pro dioecesibus Germaniae iam probatus.

Hispania

V. Decreta particularia:

11. Flaviobrigensis (7 febr. 1966, Prot. n. 249/66), confirmatur interpretatio hispanica et vasconica Proprii Missae de s. Martino ab Ascensione, et interpretatio vasconica orationis *Et famulos*.
12. Sancti Sebastiani (17 decembris 1965, Prot. n. 4249/65), confirmatur interpretatio vasconica praefationum et Proprii Missarum pro diebus dominicis et festis ab Octava Nativitatis Domini ad dom. II Quadragesimae.

Hungaria

- I. Documenta: 7 febr. 1966 (Prot. n. 227/66).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Ordinarium Missae a Coetu Episcoporum propositum.

Italia

V. Decreta particularia:

29. Almae Urbis (14 ian. 1966, Prot. n. 53/66), confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum dioeceseos.
30. Ianuensis (9 febr. 1966, Prot. n. 338/66), confirmatur interpretatio italica proprii Missarum archidioeceseos.

31. **Laudensis** (5 ian. 1966, Prot. n. 4295/65), confirmatur interpretatio popularis Proprii Missae de s. Bassiano.
32. **Mutinensis** (18 ianuarii 1966, Prot. n. 84/66), confirmatur interpretatio italica Proprii Missae de s. Geminiano.
33. **Netensis** (18 ianuarii 1966, Prot. n. 91/66), confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum dioeceseos.
34. **Nicosiensis** (5 ian. 1966, Prot. n. 4292/65), confirmatur interpretatio popularis Proprii Missarum de s. Philippo Agyrinensi et de B. Felice de Nicosia.

Jugoslavia

V. Decreta particularia:

6. **Labacensis** (14 ian. 1966, Prot. n. 61/66), confirmatur interpretatio slovena Proprii Missarum archidioeceseos.
7. **Sloveniae** (28 ian. 1966, Prot. n. 172/66), confirmantur aliquae variationes in textu libri *Latinsko-slovensky misal* a Coetu Episcoporum propositae.
8. **Veglensis** (30 oct. 1965, Prot. n. 3846/65), probatur usus linguae veteroslavicae in Missis in cantu.

Norvegia

I. **Documenta:** 28 ian. 1966 (Prot. n. 153/66).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: iuxta decretum typicum, insuper praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. **MISSALIA:** Textus Ordinarii Missae a Coetu Episcoporum propositus. Pro partibus Proprii: *Messeboken*.

ASIA

Borneum Septentrionale

V. Decreta particularia:

2. Kuchingensis (5 ian. 1966, Prot. n. 4296/65), confirmatur interpretatio lingua bau-landdayak Ordinarii Missae ab Ordinario proposita.

India

V. Decreta particularia:

12. Patnensis (9 febr. 1966, Prot. n. 353/66), confirmatur ad experimentum interpretatio lingua hindi Ordinarii Missae, in versibus exarata.

Indonesia

- I. Documenta: 20 dec. 1965 (Prot. n. 4262/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Ordinarium Missae a Coetu Episcoporum propositum.

V. Decreta particularia:

3. Mytkyinaensis (28 ian. 1966, Prot. n. 171/66), confirmatur interpretatio lingua kachin praefationum ab Ordinario proposita.

AFRICA

Chenia

- I. Documenta: 4 febr. 1966 (Prot. n. 222/66).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: orationes.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Textus orationum quae in libris iam approbatis inveniuntur.

Congus-Leopoldpolitana

I. Documenta: 5 ian. 1966 (Prot. n. 4294/65).

III. Partes quae lingua vulgari proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA

a) lingua ligala: Textus praefationum.

b) lingua tchiluba: Ordinarium Missae cum praefationibus.

c) lingua otetele: Ordinarium Missae cum praefatione communi et de Trinitate.

2. RITUALIA:

a) lingua lingala: Formula Absolutionis sacramentalis.

b) lingua tchiluba: Ritus Confirmationis et exsequiarum.

Uganda

V. Decreta particularia:

2. Guluensis (4 febr. 1966, Prot. n. 183/66), confirmatur interpretatio lingua acholi Ordinarii Missae, ab Ordinario proposita.

Zambia

I. Documenta: 9 febr. 1966 (Prot. n. 243/66).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

a) lingua anglica: *St. Andrew daily Missal*.

b) lingua lunda: Missale Romanum a Coetu Episcoporum propositum.

AMERICA

Canadia

I. Documenta: 5 febr. 1966 (Prot. n. 324/66).

III. Partes quae lingua vulgari proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

a) lingua anglica: Textus praefationum a Coetu Episcoporum propositus.

b) lingua gallica: Textus praefationum et *Pater* pro Gallia probati.

2. RITUALIA:

a) lingua anglica:

Weller Ritual et textus partium quae in Ordinibus conferendis lingua vernacula dici possunt, a Coetu Episcoporum propositus.

3. BREVIARIA:

b) lingua gallica:

Bréviaire Romain latin-français (Desclée 1965); *Bréviaire Romain latin-français* (Mame 1965); et pro non clericis *L'Office divin* (Labergie 1965).

Chilia

I. Documenta: 28 ian. 1966 (Prot. n. 175/66).

III. Partes quae lingua vulgari proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Textus praefationum a Coetu Episcoporum propositus.

Brasilia

V. Decreta particularia:

1. Apparitiopolitanae (5 febr. 1966, Prot. n. 319/66), probatur « ad interim » ritus abbreviatus Baptismi infantium in Basilica nationali « de Aparecida » adhibendus, lingua lusitana exaratus.

OCEANIA

Nuova Guinea

I. Documenta: 17 dec. 1965 (Prot. n. 4262/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Ordinarium Missae linguis warisi, alu et wahgi, a Coetu Episcoporum propositum.

SUMMARIUM DECRETORUM
QUIBUS CONFIRMANTUR INTERPRETATIONES POPULARES
PROPRIORUM RELIGIOSORUM

(a die 1 ian. ad 10 febr. 1966)

Ordo Praedicatorum

ITALIA

12. Die 12 ian. 1966 (Prot. n. 49/66): confirmatur interpretatio italica Ordinarii Missae quae in *Messale Domenicano* (Marietti 1959) exstat, et Proprii Missarum BMV. de Rosario et de s. Martino de Porres.

PROVINCIAE LINGUAE GALLICAE

13. Die 5 ian. 1966 (Prot. n. 4283/65): confirmatur interpretatio gallica praefationum de s. Dominico, de s. Thoma Aquinate et de s. Francisco Assisiensi.

MELITA

14. Die 12 ian. 1966 (Prot. n. 4284/65): confirmatur interpretatio melitensis Ordinarii Missae, Proprii Missarum Ordinis et partium propriarum ritui dominicano in Triduo sacro.

Ordo Fratrum Minorum

BELGIUM-HOLLANDIA

6. Die 14 ian. 1966 (Prot. n. 62/66): confirmatur interpretatio flandrica Proprii Missarum Ordinis.

Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum

JUGOSLAVIA

2. Die 7 febr. 1966 (Prot. n. 250/66): confirmatur interpretatio slovenica Proprii Missarum Ordinis.

Ordo Hospitalarius S. Ioannis a Deo

GERMANIA

2. Die 9 febr. 1966 (Prot. n. 327/66): confirmatur interpretatio germanica Proprii Officiorum Ordinis.

Congregatio Presbyterorum a SS.mo Sacramento

PROVINCIAE LINGUAE ANGLICAE ET GALlicAE

1. Die 26 ian. 1966 (Prot. n. 143/66): confirmatur interpretatio anglica et gallica Proprii Missarum et Officiorum Congregationis.

Congregatio Servorum a Caritate

ITALIA

1. Die 9 febr. 1966 (Prot. n. 216/66), confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum Congregationis.

Congregatio Pretiosissimi Sanguinis

PROVINCIAE LINGUAE ANGLICAE ET GERMANICAE

1. Die 14 ian. 1966 (Prot. n. 63/66): confirmatur interpretatio anglica et germanica Proprii Missarum et Officiorum Congregationis.

ITALIA

2. Die 7 febr. 1966 (Prot. n. 305/66): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum Congregationis.

Institutum Saec. Missionariorum Regalitatis D. N. I. C.

REGIONES LINGUAE GALLICAE

2. Die 22 ian. 1966 (Prot. n. 110/66): confirmatur interpretatio gallica Ritualis Instituti.

Decreta

quibus facultas datur omittendi Horam Primam

- Congregatio Anglica OSB, die 18 nov. 1965 (Prot. n. 3992/65).
Congregatio Bavarica OSB, 16 nov. 1965 (Prot. n. 3980/65).
Congregatio Beuronensis OSB, die 9 febr. 1966 (Prot. n. 347/66).
Congregatio BMV Mediatricis SOC, die 2 dec. 1965 (Prot. n. 4110/65).
Ordo Fratrum S. Pauli Primi Eremitae, die 10 dec. 1965 (Prot. n. 4159/65).
Ordo Praedicatorum (pro Monialibus), die 15 dec. 1965 (Prot. n. 4206/65).
Ordo Fratrum Minorum Conv., die 15 dec. 1965 (Prot. n. 4219/65).
Ordo Fratrum S. Augustini, die 24 ian. 1966 (Prot. n. 144/66).
Ordo Minimorum, die 25 nov. 1965 (Prot. n. 4046/65).
Ordo Canonissarum Regularium S. Sepulchri, die 22 ian. 1966 (Prot. n. 109/66).
Congregatio Sororum S. Gertrudis OSB, die 29 nov. 1965 (Prot. n. 4083/65).

ORDO LECTIONUM PER FERIAS

1. DECRETA

Facultas adhibendi peculiarem Ordinem lectionum per ferias, de quo in *Notitiae*, 2 (1966) 6-7, actum est, sequentibus Coetibus Episcoporum adhuc data est:

Africa Meridionalis, die 5 ian. 1966 (Prot. n. 4282/65).

Congus-Leopoldopolitana, die 8 febr. 1966 (Prot. n. 346/66).

Rhodesia, die 8 febr. 1966 (Prot. n. 344/66).

Canadia, die 21 ian. 1966 (Prot. n. 108/66).

2. INCEPTA

Germania-Helvetia.

Commissiones liturgicae Episcoporum Germaniae et Helvetiae (pro lingua germanica), ad utilitatem sacerdotum, libellum parvae molis et facilis consultationis ediderunt: *Perikopenordnung für die Messfeier an Wochentagen*. Trier 1966, 72 pp.

Liber normas a « Consilio » datas et elenchum pericoparum praebet. Pro omnibus diebus lectiones Sacrae Scripturae, et thema generale cuiusque pericopae paucis verbis indicat.

Helvetia (lingua italica)

Commissio liturgica pro lingua italica in Helvetia (Seminario di Lugano), aliqua fascicula polygraphata vulgavit, in quibus pericopae in extensum referuntur, ita ut sacerdotes ex illis lectiones directe legere valeant.

Iam edita sunt:

Lecture per il tempo di Avvento.

Lecture per il tempo natalizio.

Lecture per il tempo dopo l'epifania fino alla quaresima, fascicolo I e II.

Lecture per Messe da morto e Messa votiva del S. Cuore.

3. DUBIA

Petitum est utrum religiosi ad aliquem ritum non romanum pertinentes, in propriis ecclesiis litantibus et intra fines dioecesium in quibus Ordinarii locorum novum ordinem lectionum per ferias introduxerunt,

possint vel debeant hunc ordinem adoptare, sine speciali decreto proprium ritum attingente.

Resp. Quoad obligationem in ecclesiis publicis, standum est decreto Ordinarii loci, ad normam art. 22, 1 et 2 Constitutionis de sacra Liturgia. Ex alia parte videtur religiosos posse, sine alio peculiari decreto pro ipsis, frui concessione pro omnibus dioecesibus alicuius regionis dato. Immo ratione pastoralis, suadendum est ut, saltem in ecclesiis publicis, novum ordinem in praxim deducant.

LABORES COETUUM A STUDIIS

De lectionibus historicis et de textibus historicis

(P. Balduinus De Gaiffier, S J)

In *Constitutione de sacra Liturgia* a Concilio Vaticano II promulgata ex una parte statuitur ut ad Ecclesiam universam Sancti tantum extendantur qui momentum universale revera prae se ferunt, et ex altera parte « Passiones seu vitae Sanctorum fidei historicae reddantur » (Art. 111 et 92c). Opportunum ergo videtur eos Sanctos seligere, praesertim inter illos qui ad antiquitatem christianam pertinent, quorum notitiae historicae certae exstant, vel saltem de eorum historica realitate dubitari prudenter nequit.

Ad lectiones vero historicas quod attinet, enonnullae considerationes circa aliqua festa maioris vel difficilioris momenti:

I. FESTA APOSTOLORUM

Absque dubio festa omnium Apostolorum in calendario manebunt, ideoque de eorum lectionibus historicis attente agendum, quoniam quae hodie in Breviario leguntur, sic et simpliciter retineri nequeunt. Plures enim earum lectionum fictitiae sunt vel traditionibus suspectis nisae; impossibile igitur est eas adhuc retinere. Nonne melius videbitur, his in casibus, homiliam ex quodam Patre quae de illo Apostolo agit, seligere? In singulis casibus tunc videndum est. De his vero Apostolis circa quos notitiae in S. Scriptura inveniuntur, illae sumuntur, exclus aliis quae ex *Passionibus* proveniunt.

II. FESTA SANCTORUM APUD FIDELES VALDE COMMUNIA ET PERVULGATA

Ne in abstracto sermo fiat, exemplum esto de S. Caecilia. Eius *passio* est certe fabulosa, artificiosa et ex mera pietate concinnata ut auctoritative scribit Delehaye (*Les Passions des Martyrs et les genres littéraires*. Bruxelles 1921). Quid tunc faciendum? Ad bonam solutionem inveniendam quaedam praemittenda videntur.

1) Ecclesia Romana *passiones* Sanctorum in officio legendas, tantum circa saeculum VIII recepit, quando iam difficile vel impossibile erat de earum genuinitate iudicare; exinde elementum sic dictum historicum in liturgiam intravit, quod tamen non semper historicum est. Ceterum hoc elementum extraneum esset liturgiae et si adhuc retinendum, iuxta leges criticae historicae ad trutinam revocandum est. Unde duplex exurget conclusio:

a) Eliminare ex officio omnia quae historiam sapiunt, retentis tantum his quae indolem orationis prae se ferunt et ad pietatem movent, opponitur statuto Constitutionis de sacra Liturgia, iuxta quod *passiones fidei historicae reddendae sunt* (art. 92), et de cetero si festum alicuius Sancti celebratur, negligi non potest eius notitia biographica.

b) Si lectiones pro Sanctis retinendae sunt, sicut placuit peritis qui ad emendationem Breviarii laborant, exigentiae historicae negligi non possunt.

Sed in concreto de Sanctis apud fideles valde celebratis, sicut s. Caecilia? En solutiones possibiles:

1) Festum expungere: solutio forsitan nimis dura quae admirationem fidelium moveret.

2) Festum cum lectione, proposita tamen non ut *notitia historica*, sed uti adiumentum ad vitam spiritualem et pietatem.

De hoc aspectu spirituali passionum Sanctorum plures locuti sunt auctores, uti Delehaye, Aigrain, Vagaggini, Jounel, qui omnes in lucem ponunt possibilitatem eas adhibendi ad pietatem fovendam et tamquam incitamentum ad virtutes. Evidenter si huiusmodi *passiones retinendae sunt*, necesse adhuc erit ut clare dicatur agi de lectione tantum pia et non de historia, ne fideles vel extranei in errorem inducantur.

Sed contra dici potest quod fictio vel poesis sumi non debent ut oratio.

3) Festum retinere sed eliminare legendam, cuius partes tantum in antiphonis vel responsoriis retineri possunt. Et tunc quaeritur:

a) Quid ponendum loco legendae? Quoniam ipsa persona S. Caeciliae obscura est, difficile erit textum appropriatum seligere; nam si de virginitate vel de martyrio agitur, indirecte saltem notitiae legendae recipiuntur et probantur. Ceterum adhuc periculosum est celebrare fundatricem alicuius *tituli*, et hoc etiam dubium est.

b) Si antiphonae et responsoria ex legenda sumuntur, lectio illis respondere debet.

Omnibus perpensis, possumus indulgentes esse circa legendas hagiographicas? *Si parva licet componere magnis*, non adsunt in S. Scriptura opera, uti Iudith, Iob, Tobia, qui per narrationem aliquas veritates docere volunt?

4) Ultima solutio adhuc adest: retinere tantum commemorationem festi absque lectione hagiographica. Hoc in casu difficultates de veritate historica evanescent, et si aliquando aliqua pars ipsius legendae pro antiphonis sumitur, non erit *historica*, sed tantum quae continet verba ad pietatem fovendam.

Si casus S. Caeciliae eo modo solvitur, scilicet ut legenda adhibeatur tantum propter eius spirituales indolem, vel iuxta modum in n. 4 recensitum, facilior erit solutio etiam aliorum casuum, qui generatim minus implicati sunt. Sic v. gr. de S. Agatha, eliminata legenda, sumi potest aliquis textus qui de martyrio vel de virginitate agit, quoniam de existentia historica huius Sanctae nullum adest dubium.

III. DE STRUCTURA LECTIONUM

Ad ipsam structuram et contentum lectionum quod attinet, cavendum erit ne lectiones ipsae uti notitiae bibliographicae encyclopediarum praesententur. Ideoque:

1) opportunum videtur ut in lectionibus etiam excerpta ex operibus ipsius Sancti, cuius festum celebratur (uti Ignatius, Polycarpus, Cyprianus, etc.), inserantur;

2) si de aliquo Sancto agitur qui scripta spiritualia reliquit, excerpta ex illis sumi possunt quae eius personam et indolem melius expriment;

3) eliminanda sunt ex lectionibus omnia quae mira vel puerilia videntur;

4) ut lectio clarior evadat et maius spatium habeatur pro rebus maioris momenti, initio poni potest rubrica quae notitias chronologicas contineat.

De Missis votivis

(P. Hermannus Schmidt, S J)

I. DE UTILITATE MISSARUM VOTIVARUM

Iam ab antiquitate Liturgia romana mysterium christianum celebrat in intima relatione cum synaxi eucharistica. Propterea habentur Proprium de Tempore, in quo mirabilia Dei in Christo Salvatore manifestata celebrantur in Eucharistia, quae est mysterium fidei, et Proprium de Sanctis, in quo mirabilia Dei in hominibus manifestata celebrantur in Eucharistia, quae est fons omnis sanctitatis. Cum autem mysterium christianum est consecratio mundi secundum omnes eius variationes, Liturgia romana iam antiquitus conexit necessitates Ecclesiae, humanitatis et mundi cum celebratione eucharistica, quae est centrum totius Redemptionis; hac in re Liturgia romana descendit debita moderatione etiam ad necessitates individuales, particulares, locales ac temporarias, quas solvere non licet ab aspectu sociali Ecclesiae, nam societas humana ac ecclesiastica cogitari non posset sine utilitatibus unicuique suo membro propriis. In sic dictis Missis votivis seu adventitiis vel peculiaribus ad votum solvendum personae vel communitatis, extensiva consecratio mundi conectitur cum Eucharistia etiam per textus particulares. Propterea Missae votivae habent virtutem pastorem et reddunt Eucharistiam vitae concretae uniuscuiusque hominis vicinam.

Ergo Missae votivae in genere conservandae, restaurandae ac hodiernis circumstantiis aptandae sunt.

2. DE MISSIS VOTIVIS QUAE PERTINENT AD CELEBRATIONEM SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM

Administratio sacramentorum et nonnullorum sacramentalium (v. g. dedicatio ecclesiae, consecratio virginis, professio religiosa, funeralia) in genere fit in relatione cum synaxi eucharistica, sicut historia docet. Oriuntur hae quaestiones:

a) Si fit administratio sacramentorum ac sacramentalium cum celebratione eucharistica, eius textus *proprius* esse decet ne administratio sacramentorum ac sacramentalium inseratur in alios textus sive de Tempore sive de Sanctis (v. g. Matrimonium, Dedicatio ecclesiae ac funeralia nunc iam habent propriam Missam). In talibus autem textibus propriis introducenda videtur relatio cum tempore liturgico (v. g. cum cyclo Nativitatis, Paschatis).

b) Secundum nonnulla documenta antiqua (v. g. S. Iustinum, Hippolytum) functio incipit cum ritu sacramenti sive sacramentalis, quem statim sequitur liturgia eucharistica, *omissa Liturgia verbi*, quae est in usu ceterarum Missarum. Quia Verbum Dei esse debet pars ritus sacramentorum ac praecipuorum sacramentalium, supervacanea videtur esse ante vel post vel inter ritum sacramenti vel sacramentalis, aliena liturgia verbi. Salvis exceptionibus laudabilibus (v. g. ad consecrationem chrismatis ac oleorum, ad benedictionem nuptiarum) interiectio externa ritus sacramenti vel sacramentalis inter ritum Missae evitari debet. Ritus sacramenti ac nonnullorum sacramentalium sic compositus esse debet, ut eum normaliter sequi possit liturgia eucharistica, quae ergo incipit cum offertorio.

c) Sicut historia praesertim in Oriente docet, omnibus sacramentis, etiam Paenitentiae et Unctioni infirmorum, *coniungenda esset liturgia eucharistica*, ut occasione data ac debita cautela plenitudo mysterii cultus observari possit (v. g. in celebratione communitaria Paenitentiae, in collatione Unctionis infirmi Episcopo sive sacerdote).

d) Apti textus eucharistici requiruntur ad *celebranda anniversaria* collationis nonnullorum sacramentorum ac sacramentalium (v. g. de electione papae, de consecratione episcopi, de ordinatione sacerdotis, de initiatione christiana, de dedicatione Ecclesiae, de professione religiosa, de matrimonio, etc.), quas secundum normas rubricarum adhibere licet.

3. DE ALIIS MISSIS VOTIVIS

a) Variarum *circumstantiarum*, calamitates ac necessitates vitae sacrae ac profanae, requirunt proprias Missas, quae secundum spiritualitatem liturgicam ac mentalitatem hodiernam eventus principales vitae humanae coniungant cum Christo Mediatore (v. g. unitas christianorum, opus missionarium, concilium, synodus, coetus nationales ac internationales christianorum, novum gubernium politicum, festa nationalia, bellum,

siccitas, etc.). Ad hanc speciem pertinent etiam necessitates spirituales ac materiales fidelium (v. g. peccatores, spiritus abnegationis, captivi, infirmi, pauperes, vita familiaris). Attamen requiritur debita moderatio, nam « oratio fidelium » instaurata non raro sufficit.

b) In traditione Liturgiae Romanae habentur Missae sic dictae S. Augustini sive Alcuini, quae *pro unaquaque die hebdomadae* determinant argumentum speciale et quae postea acceperunt novam evolutionem, sicut hodiernum Missale Romanum demonstrat. Etiam decursu temporis ortae sunt Missae pro determinatis diebus mensium (prima feria sexta mensis, primum sabbatum mensis) aut pro certis diebus anni (v. g. in gratiarum actionem eventuum historicorum, apparitionum). In hac specie Missarum requiritur magna moderatio, ne annus liturgicus turbetur.

c) Missae votivae *de Sanctis* permitti possunt sed maiore cum moderatione quam nunc secundum indultum Benedicti Pp. XV, quod certe revisione indiget.

d) Missae votivae de variis devotionibus ac formis pietatis (v. g. de variis elementis Passionis Christi ac devotionis Marianae) admitti possunt tantum in Missali universalis Ecclesiae Romanae si hodierno tempore tales devotiones revera universaliter acceptae sint. Talis moderatio necessaria est: primo, ut puritas Liturgiae salvetur ab elementis extraneis, et secundo, ut devotiones ac formae pietatis secundum propriam indolem incolumes servantur. Hac in re distinguendum est inter liturgiam et exercitia pia; sed simul eorum mutuus influxus, si est ordinatus ac modestus, totaliter opprimendus non est.

e) Missae *de B.M.V. in sabbato* non tantum salvandae sunt sed etiam instaurandae secundum varia momenta Mysteriorum Salutis, sicut in anno liturgico celebratur.

f) Missae votivae *in diversis locis* quae pertinent ad Propria particularia, sic moderandae sunt, ne annum liturgicum opprimant (v. g. in sanctuariis, in coetibus status religiosi).

4. DE MISSIS VOTIVIS RELATE AD UTILITATEM POPULI

Etiam Missae votivae principaliter considerandae sunt in relatione ad celebrationes eucharisticas *cum frequentia populi*, sive lectas sive cantatas. Non permittitur, ut celebrans congregationi fidelium imponat

in usu Missarum votivarum publicarum suam devotionem privatam. Abolendae esse videntur Missae votivae quae gaudent privilegio occurrentiae (ut dici possint diebus I, II, III classis) sed fiant sine ulla solemnitate externa et sine praescriptis exercitiis piis. Hac in re veritas ac simplicitas restaurandae sunt.

IN NOSTRA FAMILIA

Die 18 martii 1966. Em.mus Card. Carolus CONFALONIERI, Sacrae Congregationis Consistorialis Pro-Praefectus, et « Consilii » Vice-Praeses, quinquagesimam celebravit anniversariam memoriam a recepta sacerdotali Ordinatione, et vigesimam quintam ab Episcopali Consecratione.

Rev.mus P. Ferdinandus ANTONELLI, OFM, Sacrae Rituum Congregationis a Secretis, Membrum « Consilii », electus est ad Sedem tit. « pro hac vice » Archiepiscopalem Idicrensem (*L'Osservatore Romano*, 21-22 febbraio 1966). Consecrationem vero Episcopalem recepit ab ipso Summo Pontifice Paulo VI, die 19 martii 1966, festo S. Ioseph sacro, in Basilica Vaticana.

« Consilium », inde ab exordiis assidua et sollerti cooperatione horum clarissimorum Sodalium fruens, eorum felices eventus uti gaudium totius familiae suae aexistimat; fausta optimaque ominatur; omnia bona exoptat, ac Deo fundit preces ut ipsi vires, vitam, dona Sancti Spiritus ad Ecclesiae utilitatem et ad opus « Consilii » perficiendum diu impendere valeant.

Sacra Congregatio Rituum

INSTRUCTIO

DE LINGUA IN CELEBRANDIS OFFICIO DIVINO ET MISSA « CONVENTUALI » AUT « COMMUNITATIS » APUD RELIGIOSOS ADHIBENDA *

In edicendis normis quae linguam respiciunt adhibendam in celebratione divini Officii in choro, in communi aut a solo, sacrosanctum Concilium Oecumenicum Vaticanum secundum prae oculis habuit et saecularem Ecclesiae latinae traditionem tutandam et bonum spirituale promovendum eorum omnium qui ad hanc precationem sunt deputati vel ipsam participant. Hac de causa opportunum duxit, quibusdam in adiunctis et personarum bene determinatis ordinibus, usum linguae vernaculae concedere.

Plures exinde Apostolicae Sedi petitiones delatae sunt ut sacrosancti Concilii normae de hac re pressius determinarentur, et linguae vernaculae usus etiam clericis, in celebratione quoque choralis Officii divini, concederetur, ob peculiare condiciones sive locorum sive actionis pastoralis quibusdam communitatibus conceditae.

Has petitiones attente considerantes, ad opportunam uniformitatem stabiliendam et ad normam bene definitam praebendam, Sacra Congregatio Rituum, Sacra Congregatio de Religiosis et « Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » deputatum ea quae sequuntur communi consensu statuerunt:

I. Religiones clericales choro adstrictae

1. Religiones clericales « choro adstrictae » Officium divinum « in choro » lingua latina celebrare tenentur, ad normam art. 101, 1 Constitutionis de sacra Liturgia et n. 85 *Instructionis* diei 26 septembris 1964 ad eiusdem Constitutionis executionem recte ordinandam.

2. Peculiari tamen ratione providebitur ut monasteria in regionibus missionum exstantia, et sodalibus maiore ex parte indigenis constantia, linguam vernaculam ad mentem art. 40 Constitutionis adhibere valeant.

3. Auctoritas competens ad concessionem, sub numero praecedenti recensitam, dandam, est Sacra Congregatio de Religiosis.

* *Acta Apostolicae Sedis*, 57 (1965) 1010-1013.

II *Religiones clericales choro non adstrictae*

4. Communitates religiosas clericales choro haud obligatae eas divini Officii partes lingua vernacula in communi persolvere possunt quas, vi Constitutionum, etiam religiosi laici participare tenentur.

5. Ius decernendi usum linguae vernaculae in partibus Officii divini sub numero praecedenti memoratis, est penes Capitulum generale aut, mente sodalium praevie exquisita, penes Consilium generale Instituti.

6. Huiusmodi autem decretum, quoties praescripta Constitutionum mutet, a Sacra Congregatione de Religiosis, si de Institutis iuris pontificii, aut ab Ordinariis locorum, si de Congregationibus iuris dioecesani agitur, probari debet (cf. C.I.C., can. 495, 2).

III. *Communitates religiosas clericales quae pastoralis ministerio paroeciae, sanctuarii, aut ecclesiae valde frequentatae addicuntur*

7. Communitates religiosas clericales, etiam choro adstrictae, quae servitio alicuius paroeciae, sanctuarii aut ecclesiae valde frequentatae addicuntur, eas divini Officii partes lingua vernacula persolvere possunt quas, rationibus pastoralibus, una cum populo celebrant.

8. De hac facultate concedenda iudicabunt:

a) Ordinarius loci, adsentiente Superiore Maiore religioso, et Sacra Congregatione de Religiosis approbante, si de communitate choro adstricta agitur;

b) Ordinarius loci, adsentiente Superiore Maiore religioso, si agitur de communitate choro non obligata.

IV. *Moniales*

9. Moniales facultatem divinum Officium lingua vernacula etiam in choro celebrandi impetrare valent.

In iis autem monasteriis, in quibus, ex proprio tradito more, Officium divinum solemni cultu celebratur et cantus gregorianus percolitur, lingua latina, quantum fieri potest, servetur.

10. Peculiari ratione concedetur ut monasteria, in regionibus missionum exstantia, et sodalibus maiore ex parte indigenis constantia, linguam vernaculam adhibere valeant.

11. Ubi, in celebratione choralis divini Officii lingua latina servatur, facultas tamen fit lectiones lingua vernacula legendi.

12. Auctoritas competens, quae linguae vernaculae usum in Officio divino in choro persolvendo Monialibus concedit, est Sacra Congregatio de Religiosis. Petitio a Monasterii Capitulo fiet, de consensu Ordinarii loci aut Superioris religiosi, si monasterium ab Ordinis iurisdictione pendet.

13. Moniales, quae recitationi choralis non intersunt, in divini Officii recitatione a solo facta, linguam vernaculam adhibere possunt.

V. Religiones laicales

14. Communitatibus laicalibus Institutorum status perfectionis sive virorum sive mulierum, Superior competens concedere potest, ad normam art. 101, 2 Constitutionis de sacra Liturgia, ut in recitatione divini Officii, etiam in choro celebrandi, lingua vernacula adhibeatur.

15. Superior competens est Instituti Capitulum generale aut, sodalibus eiusdem Instituti rite consultis, Consilium generale.

16. Huiusmodi autem decretum, quoties praescripta Constitutionum mutet, a Sacra Congregatione de Religiosis, si de Institutis iuris pontificii, aut ab Ordinariis locorum, si de Congregationibus iuris dioecani agitur, probari debet (cf. C.I.C., can. 495, 2).

VI. De lingua in Missa « conventuali » adhibenda

17. Religiones clericales choro adstrictae in Missa « conventuali »:

a) linguam latinam servare tenentur, eadem ratione ac supra, pro Officio divino, statutum est (nn. 1-2); lectiones, tamen, lingua vernacula proferri possunt;

b) linguam vernaculam adhibere possunt, intra limites a competenti auctoritate territoriali statutos, cum communitas religiosa pastoralis ministerio alicuius paroeciae, sanctuarii aut ecclesiae valde frequentatae addicta est, et Missa « conventualis » in fidelium utilitatem celebratur.

18. Moniales, iuxta ea quae pro Officio divino in choro ab ipsis celebrando statuta sunt (nn. 9-11), vel linguam latinam servabunt, vel linguam vernaculam, intra limites a competenti auctoritate territoriali statutos, adhibere poterunt.

VII. *De lingua adhibenda in Missae « communitalis » celebratione, in religionibus clericalibus choro haud adstrictis et in religionibus laicalibus sive virorum sive mulierum*

19. Religiones clericales choro non adstrictae, in Missae « communitalis » celebratione, praeter latinam, linguam vulgarem, intra limites a competenti auctoritate territoriali statutos, aliquoties in hebdomada (ex gr. bis vel ter) adhibere possunt.

20. Missa « communitalis » quam vocant pro Communitatibus laicalibus Institutorum statuum perfectionis sive virorum sive mulierum, de more lingua vernacula celebrari potest, intra limites a competenti auctoritate territoriali statutos.

Provideatur, tamen, ut sodales horum Institutorum, etiam lingua latina partes Ordinarii vel Proprii, quae ad ipsos spectant, possint simul dicere vel cantare (cf. Const. art. 54).

Praesentem Instructionem communi consensu a S. Congregatione Rituum, a Sacra Congregatione de Religiosis et a Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia paratam, Summus Pontifex in Audientia die 23 Novembris 1965 E.mo Card. Arcadio M. Larraona, S. R. C. Praefecto, concessa, benigne approbavit et auctoritate Sua confirmavit et publici iuris fieri iussit, pariter statuens ut a die 6 Februarii 1966, Dominica Septuagesimae, vigere incipiat.

Romae, die 23 Novembris 1965.

IACOBUS Card. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis
Praeses Consilii
ad exsequendam Constitutionem
de sacra Liturgia

ILDEBRANDUS Card. ANTONIUTTI
S. C. de Religiosis
Praefectus

ARCADIUS M. Card. LARRAONA
S. R. C. Praefectus

Ferdinandus Antonelli
S. R. C. a Secretis

COMMENTARIUM

1. Promulgata *Constitutione* de sacra Liturgia (4 dec. 1963), et praesertim edita *Instructione* diei 26 sept. 1964, plures Communitates religiosas enixas obtulerunt preces « Consilio », Sacrae Congr. Rituum et Sacrae Congr. de Religiosis ab obtinendam facultatem adhibendi linguam vernaculam in celebratione divini Officii.

Religiosi id petentes ad diversas familias pertinebant. Exstabant:

a) Communitates monasticae et Ordines Mendicantes, idest communitates quae choro addicuntur: petebant usum linguae vernaculae saltem in Horis celebrandis cum fidelibus, ex. gr. pro Vesperis diebus dominicis, vel pro Completorio, ubi celebratur cum alumnis collegiorum, sicut in pluribus monasteriis OSB, vel Praemostratensium.

b) Communitates cum Officio « in communi » (Oblati, Missionarii, etc.), quae exoptabant usum linguae vulgaris pro illis Horis, quae sicut Laudes vel Vesperae aut Completorium, locum tenent precum matutinarum vel serotinarum, quasque ex Constitutionibus tota communitas, etiam fratres conversi vel postulantes seu candidati ad vitam religiosam, participare tenentur.

c) Communitates cuiusque typi, etiam choro obligatae, sed servitio alicuius paroeciae, vel ecclesiae valde frequentatae addictae, quae vulgarem sermonem petebant pro partibus divini Officii cum populo celebrandis.

d) Pro terris Missionum, omnes communitates petebant usum linguae vulgaris ad faciliorem reddendam viam Institutorum statuum perfectionis iuvenibus a scholis statalibus venientibus et linguae latinae fere ignaris.

e) Communitates quae sacerdotibus et fratribus conversis, fere pari numero, constant, usum linguae vernaculae exquirebant pro toto Officio divino.

Conversio cuiuslibet textus in aliam linguam, opus est, quod theoretice fieri nequit. Voces enim neque tessellarum cubi, neque realitates quae cogitatione discretant, neque algebrica signa sunt quae inter se mutantur; e contra, quasi vividae partes alicuius corporis, vel alicuius vivi atque multiplicis organismi cellulae. Duae voces quae fere eadem fundamentalis significatione gaudent in duabus linguis diversis, neque easdem resonantias et varietates praebent, neque eodem modo aptae sunt, ut inter se coniungantur. « Traducere » ergo, non solum dicit successivam conversionem verborum ex quadam lingua in verba alterius linguae; saepe « traducere » non aliud est ac textum ita novum omnino creare, ut textus novus simul et fideliter primitivum repercutiat, et, quantum fieri potest, novum lectorem adducat ad sentiendum quod iuxta propriam linguam excogitatus atque conscriptus fuerit. Quaelibet conversio textus in aliam linguam, cum sit relatio, constituitur ac, si dici queat, distrahitur inter duos terminos: nempe terminum *a quo*, qui est primigenius textus, quam maxime observandus, et terminum *ad quem*, qui est textus terminalis, quem translator quam maxime consentaneum efficiat ingenio linguae in qua iam nunc est legendus.

Variae textus convertendi rationes inter se differunt prout plus minusve terminorum alterutri concedunt. Quae saeculis XVII et XVIII in Gallia « belles infidèles » vocabantur, Homeri poemata vel Collationes Patrum ita componere intendebant, ut nullo modo lectores disturbarentur quoad tempus vel spatium, nec minimam novitatem persentirent, ac si Homerus vel Cassianus eorum aetatis et nationis essent scriptores.

E contra, saeculo XIX, cum Leconte de Lisle Iliada vel Orestiam convertibat, barbaram et aliunde arcessitam poematum indolem amplificabat; intendebat enim ut lector graecam linguam vel priscam aperto libro se legentem sentiret; item, ineunte XX saeculo, Gabriele d'Annun-

zio a translate in gallicam linguam, Vito Tosi, requirebat, ut non nimis gallicas commentitias fabulas atque dramata efficeret, sed ut Gallicos lectores grato errore perfunderet ac si italicam linguam plane noverint.

2. Maiores difficultates quoad liturgicos textus convertendos

Translator autem in re liturgica plus quam alius translator inter utraque extrema distrahitur: etenim, ex una parte, sacra indoles primigenii textus, qui secumfert doctrinam revelatam vel venerandam Ecclesiae precem, quam maximam observantiam requirit; non sibi translator ius agnoscit modo personali textum interpretandi qui committitur, cum timeat ne fidelibus imminutam ac nimis humanam veritatem praebeat, vel propriam spiritualitatem Ecclesiae spiritualitati eiusque, si dici queat, sentiendi modo substituat; sed ex altera parte, finem ordinis essentialiter pastoralis et practici intendit conversio textus; intelligendi enim sunt a fidelibus textus qui eis traduntur, necnon consentanei sint oportet cum eorum cultu, vocabulis et rationibus quibus cogitant et sentiunt. Dum textui nimis fidelis esse intendit, in discrimen adducitur ut non intelligantur quae dicit; dum vero ante omnia studet ut intelligantur, in discrimen adducitur ut nuntium Dei et Ecclesiae graviter fallat. Sed quid facile intelligent, si ea quae intelliguntur alia sunt ac Verbum Dei et Ecclesiae oratio?

Sed quomodo solvetur dilemma? Satisne habeamus claudicante compromisso? Sed et ultimum restrictam fidelitatem eligemus, an solutam aptationem? Neutra solutio absolute recipienda: interest enim ut cum diversis textibus in aliam linguam convertendis aliter atque aliter agatur iuxta propriam eorum materiam et formam. Liturgia enim non est realitas quae sit simplex et monolithicae indolis; constituitur enim ex congregatis textibus qui valde differunt inter se, cum origine, tum literaria ratione, necnon modo quo eis utitur liturgia. Plane novimus quantum liberet exegetas «literariorum generum» consideratio; non eodem modo traducitur revelatio divina per oraculum propheticum, per genalogiam, per psalmum laudis, per locum historiae, per sapientium sententiam, per evangelicam narrationem, per parabolam aut per paulinianam diatribam. Si ad solvendam textuum conversionis quaestionem, similes distinctiones non adhibemus, ultra progredi nequimus: nam vel districtae fidelitatis nomine, pastoralemente institutionis necnon usurpationis, ampliore in modum, linguae vernaculae, finem praetermittimus, etiam quoad textus qui tantam observantiam non merentur; vel pasto-

ralium rationum causa, immoderatis libertatibus utentes, Verbum Dei deformaturi atque nuntium eius sumus imminuturi. Aequa proportio servanda inter fidelitatem et sollertem dexteritatem, inter aptationem et restrictum agendi modum, pro casibus est mutanda: haec relatio imprimis intendit ut plura distinguantur diversa genera ad quae pertinent liturgici textus, ut diversimode de eis agatur.

Prima divisio, quae essentialis est, ea distinguit quae ad litteram sunt verba Dei, et quae sunt ecclesiastica scripta; cui distinctioni, ab origine et auctoribus ductae, aliae superponendae, a liturgico usu desumptae.

I. TEXTUS QUI A SACRA SCRIPTURA DESUMUNTUR

1. *De lectionibus*

Omnino patet illorum textuum, quorum Deus Ipse auctor est, interpretationem — iuxta vocem ab Instructione *Inter Oecumenici* adhibitam — quam maximam fidelitatem intendere: hoc enim iubet in Verbum Dei observantia. Ceterum expedit animadversionem magni momenti ponere ad instaurationem liturgicam pertinentem: nempe, quod a promulgata Constitutione *De sacra Liturgia*, vernaculae linguae, liturgicae linguae evaserunt. Textus interpretati, postquam ab auctoritate competente approbati sunt, liturgici textus et ipsi evaserunt. Quae forsán nullo modo in dubium vocatur in regionibus quas usque ad Concilium non quidem minime, liturgica renovatio tetigerat; sed in illis in quibus iam missalia pro fidelibus valde erant disseminata, lectores publice intra Missam vernaculis linguis conscriptas textuum interpretationes legebant, timendum est ne putent homines instaurationem prope nullas mutationes induxisse, nec intendant interpretationum statum omnino esse mutatum. Antea enim, textus liturgicus, Verbum Dei authenticum, latinus erat quem competens minister legebat; vernaculae interpretationis recitatio non erat nisi actus secundus, duplicatio quaedam, pastoralibus imprimis rationibus comprobata. Si interpretationes quae ad huiusmodi recitationes destinabantur, fideles, ut par erat, esse debebant, interpretationes vero quae in missalibus ad initiationem individuum fidelium paratis habeantur, maiori libertate praebere erat licitum. Nunc vero, cum liturgicae interpretationes ipsos textus liturgicos constituent, directe et per se ipsos Verbum Dei nobis proponunt, ab Ecclesia authentice oblatum.

a) *De fidelitate, deque unitate et stabilitate interpretationum.* Alio adhuc modo requirit instauratio liturgica ut interpretatio sit fidelis, nempe ob rationes pastorales. Si enim fideli conversioni anteponatur aptatio quaedam quae magis pastoralementem indolem praebere intendat, ad quem fidelium coetum huiusmodi aptatio pertinet? Ex ipso principio allato, diversae postularentur aptationes, scilicet secundum communitates, et societatis ordines, et culturas, etc. Quod est omnino utopicum, eo quod quaelibet communitas cultus, valde inter se diversos fideles complectatur. Unica interpretatione, inter eandem linguisticam aream, legendum est Verbum Dei; secus scandalizarentur fideles, et cum interpretationum diversitate, fides eorum in Verbum Dei labefacteretur; item catechesis impediretur, cum ob diversitatem quaelibet sacrorum memorisatio impossibilis evaderet. Quod si unitas essentialis qualitas est liturgicae interpretationis, quomodo haec unitas non requiretur ex obiectivo principio, nempe fidelitatis erga textum?

Dico enim: fidelitas *erga textum*: ipse enim textus est inspiratus. Spiritus quidem praestat literae; attamen spiritus in litera incarnatur; ac solum in litera constituitur atque omnibus communicatur. Quoad Verbum Dei nequimus exitialem dichotomiam admittere, qualem Platonismus vel Cartesianismus operatur in unitate hominis; non est homo anima quae infeliciter corpori coniungitur, sed corpus animatum, vel si mavultis, incarnata anima. Simili modo Revelatio non est systema supernaturalium veritatum quae alieno textu ita vestiuntur, ut Verbum Dei revereamini etiam aliis verbis aliisque figuris vel imaginibus illud praebentes. Hieronymus ille, qui consuetis translatoribus ius vindicat verba mutandi ut sensus eorum aptius exprimatur, huiusmodi facultatem sacrorum Librorum translatore denegat. Nam in Scriptura, ut ipse dicit, « ipse verborum ordo mysterium est ». Ipsa verba inspirata sunt, non autem abstracti conceptus verbis nullius momenti vecti. Attamen ipsa verba retinere nequimus, quoniam de eorum translatione agitur! Conandum est autem ut aequivalentia verba usurpentur, ut eadem imagines servantur, et etiam, quantum concedit lingua in quam vertitur textus, eadem sermonis dictiones. Ut afferamus exemplum: saepe evenit quod modus loquendi passivus in textu biblico adhibitus, sit in translatione servandus, cum ita reverens atque tacitus sed certus sit modus aliquam actionem divinam signandi.

b) *De semitica indole servanda.* Hic maximam difficultatem experimur. Patet omnes semitismos servari non posse, atque inter eos distinctionem esse operandam. Semitismi quidam non sunt nisi loquendi modi

hebraicae grammaticae proprii; et si servarentur, in linguam desinerent quae nec hebraica, nec graeca, nec germanica, nec italica esset, sed barbarus sermo. Ita, verbi gratia, necesse non est quod « respondit dicens » alio modo vertatur ac « respondit », vel « manducare panem » aliter ac « manducare ». Nonnulli autem semitismi religiosum valorem praeseferunt; ita, verbi gratia, suspicari possumus quod « Angelus Yahvé » tacitus sit modus ipsum Yahvé significandi; translator autem praesumere nequit « Angelum Domini » per « Dominum » interpretari: translator enim exegetae munus non agit; vel etiam scimus quod « regnum caelorum » locutio est propria Matthaei qua designatur id quod ceteri evangelistae vocant « regnum Dei ». Officio suo deesset translator si, Matthaeum interpretans, « regno caelorum » semper substitueret « regnum Dei ».

Aliud vero semitismorum genus, difficiliorem quaestionem praebet, eorum nempe qui sunt minus quoad verba quam quoad mores. Ut afferamus exemplum: talenta et denarii nummi sunt quibus hodierni populi non amplius utuntur. Valetne argumentum ut aequivalentibus nummis sufficiantur, vel « sterling », vel « marks », vel « francs ». Nequaquam, primum ob incessantes monetarum nostrarum fluctuationes, quae necessitatem inducerent ut indefinite mutarentur translationes; sed etiam ob motivum magis positivum. Pleraeque Europae linguae vocem « talentum » intellectualium vel artisticarum facultatum sensum affecerunt, qui ab ipso Evangelio provenit; item vox « denarius » omnibus nota est, et proverbiorum locutiones ingreditur, qualem « triginta Iudae denarios ».

Forsan mihi obicietur quod huiusmodi consideratio valeat tantum quoad regiones in quibus a longo tempore radices fixit christianismus, vestigiaque multa reliquit visibilia, non autem quoad regiones et linguas quae ad christianismum a breviori tempore apertae sint.

E contra, censeo haec non satis esse ut a priori arceatur quaelibet introductio in vernaculas linguas, verborum vel locutionum, vel imaginum quae semiticae originis indolem servant. Nullus enim ex nobis, sive in novellis communitatibus christianis, sive in antiquis, christianismum instituendi mandatum accepit, neque christianum sermonem creandi. Quodsi nostrae biblicae translationes quemlibet exotismum excluderent, atque contenderent ut directe intelligerentur ab auditoribus quas adhibent imagines, utique praetermitterent Constitutionis conciliaris praescriptum (art. 24): « Ad procurandam sacrae Liturgiae instaurationem, progressum et aptationem, oportet ut promoveatur ille suavis et vivus

sacrae Scripturae affectus ... ». Sacra enim Scriptura non solum mentes erudire debet, sed etiam sensus et imaginationes fingere; necnon, quamquam linguis nostris expressa, nos aliquantum coaevos atque concives Domini Iesu, Virginis Mariae et Apostolorum efficere.

Quod translatio nequit explanare — translatio enim non est glossa vel « targum » — catecheseos est atque homiliae ut fiat intelligibile; non quod homilia necessario vertatur in praelectionem introductionis ad Scripturam; sed vivida praedicatione, spiritu biblico perfusa, instituuntur auditores, quin ullo modo advertant, ad intimam et sapidam textus inspirati intelligentiam.

c) *De generibus literariis ratio habeatur.* De generibus literariis locuti sumus. An translatoris fidelitas mutanda sit secundum genera literaria? Non ita censemus. Diversimode agit exegeta secundum textuum rationes literarias; semper quidem necessarium erit quod coetus translatorum probatos exegetas habeat, ut verbi gratia, impediatur ne nimium in minimis rebus sistatur quae magis ad ornamentum quam ad affirmationem adhibentur; sed proprium translatoris, qua talis, munus non in doctrinali textus valore ponderando consistit, sed in literalis eius sensu, quam maxime fidei et vivido modo, exprimendo.

Ut huiusmodi vividam translationem efficiat, curare debet translator de generibus literariis. Si illi requirenda esset fidelitas et perspicuitas, adhibendaque homogenea lingua, textus proderet, illos omnes vertendo in limpida et prosaica lingua catechismi libri. Illud propheticum oraculum, illa pericopa epistolae ad Hebraeos vel Apocalypsis quamdam sollemnem formam exigit, quae non expedit quoad parabolam vel evangelicam narrationem. Epistolae ad Corinthios ardore donantur qui non iterum invenitur in ratione contemplativa epistolae ad Ephesios. Exigit fidelitas ut diversitas in modo dicendi a textibus primigeniis ad eorum interpretationes transeat.

d) *Interpretationes a textu latino fiant.* Iubet Instructio *Inter Oecumenici* (art. 40) ut « populares interpretationes textuum liturgicorum a textu liturgico fiant ». Quod praescriptum duabus rationibus comprobatur. Primo ut servetur eximia norma a Constitutione tradita (art. 23): « ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant ». Ut servetur haec norma, utque vitetur admiratio et etiam scandalum fidelium et presbyterorum latino textui assuetorum, visibilis cum illo textu continuitas est retinenda. Altera autem profundius pertingit. Progressus enim revelationis vel saltem agnitionis eius ab

Ecclesia, in periculum adduceretur si authenticas hebraici textus interpretationes a Vugata et iam a Septuaginta propositas praetermitteremus; ut exemplum afferamus, si interpret lectionis feriae IV Quatuor Temporum Adventus ita oraculum Isaiae 7, 14 verteret: « Ecce *puella* concipiet et pariet filium ».

Sed Instructio *Inter Oecumenici* facultatem omnino concedit versionum pericoparum biblicarum, « si expediat, iuxta textum primigenium vel aliam versionem magis perspicuam recognoscendi » (art. 40). Patet enim esse necessarium quod ad textum primigenium recurratur, ut potius ex illo translatio fiat, cum latina versio multum ab eo deflectere videatur, etiam in Evangeliiis, quorum Vulgata versio etsi plerumque bona, nonnunquam tamen interpolationes praebet, vel contaminationes alicuius Evangelii ab alio, quas translatio expedite praetermittet, maioris cum fidelitatis tum perspicuitatis causa. Inde etiam patet necessarium esse quod valde periti exegetae translatorum adsint commissioni.

2. De cantibus biblicis.

Cantus illi revera e Sacra Scriptura desumuntur. Eadem ergo fidelitate ac lectiones tractandi, cum sint et ipsi Verbum Dei. Optimae notae interpretatio psalmodum in lingua vernacula, unum est ex inceptis quae sunt cum maximi momenti tum difficillimis liturgicae instaurationis requisita. Attamen diversimode implicatur quaestio: quaestio de verborum ad cantum appropriatione extra propositum meum sistitur [pertinetque ad propositum Patris Gelineau]. Praeterea, cum de cantibus in Missa agitur, duo alia intercedunt: non enim de psalmis agitur, sed de psalmodum fragmentis. Etiam si in manibus habeatur optima psalmodum interpretatio, non sufficit ut conveniens concidatur fragmentum, ut habeatur introitus vel gradualis qui sit vere poeticus et etiam intellegibilis. Ceterum fragmentorum delectio facta est ratione habita textus latini eiusque propriarum resonantiarum, nonnunquam autem sensus omnino accommodatitii. Cantuum auctores magnae libertatis exemplum praebuerunt erga textus, quos vel in longum prodixerunt vel contraxerunt, vel etiam in quibus verborum ordinem mutarunt. Proinde hic iam non agitur de mera conversione textuum; sed de vera psalmodum cantuum Missae instauratione cogitandum, quae interpretum commissionum competentiam et quidem longe multum excedit.

II. DE FORMULIS SACERDOTALIBUS

1. *De orationibus et praefationibus*

Interpretis munera hic prorsus sunt alia: iam non enim de Verbo Dei agitur nec de textu inspirato iuxta technicam vocis acceptionem. Sane maxima observatio erga illas sacerdotales formulas est profitenda, atque maxima cura ad earum interpretationem procedendum. Imprimis Deum alloquuntur; earumque finis in ipsa styli nobilitate relucet. Proinde interpretatio illam retinere studeat, etiamsi transponatur; nam modi quibus observantia exprimitur, atque curiarum sermones velociter antiquantur, sponteque irridet aetas nostra vocabula magnifica atque sonantia quae a praecedentibus generationibus sunt adhibita.

Huiusmodi formulae diligentiam atque studium interpretum expossunt, ob earum doctrinalem valorem, et universum spiritualium experientiarum thesaurum qui in eis includitur et quasi condensatur; in his etiam continetur quasi familiare patrimonium; culpa ergo non vacaret qui sub praetextu praebendi cibum qui immediate iudicio populi magis congrueret, tantos thesauros negligeret illi commodare.

Saepe venerabiles illi textus ex Scriptura derivantur: « Ex eius afflatu instinctuque preces, orationes et carmina liturgica effusa sunt » (Const. *De sacra Liturgia*, art. 24). Opportune ergo in lucem ponat interpretatio biblicas allusiones aut recordationes; quas tanto efficacius percipiet populus christianus, quanto Lectionarii interpretatio strictior fuerit.

Sed iterum advertendum, quod huiusmodi textus, quantumvis enim venerabiles ac magnificentia pleni, nullo modo sunt inspirati; oritur illorum pulchritudo ex particularibus adiunctis stylisticae latinae quae iure meritoque providentialis dici potest, sed secundum historicas contingencias valde diversas a proposito salutis iuxta quod populus Israeliticus revelationis nuntius electus est. Hic « verborum ordo » non est « mysterium »; nam rhetoricae artis legibus, ac numeri et rythmi exigentiis latinae eloquentiae propriis regitur. Cuius rei ita conscius sit interpret, ut eas transponat, hoc est ut affines effectus obtineat mediis valde diversis. Ut afferamus exemplum, redundantia quae latine nobilissima est initio praefationum: « Vere dignum et iustum est, aequum et salutare » valde inepta fiet si tantum ad literam convertentur quatuor illa adiectiva cumulata. Interpretis munus hic speciatim difficile evadet. Biblici enim textus plerumque simplici ac concreta et parata-

xica lingua scribebantur, cuius analytica indoles conveniebat cum multarum hodiernarum linguarum indole. In latina autem lingua qua scribuntur orationes et praefationes, interpretes textus adit, qui, sicut et in epistolis Pauli, cogitationibus summe onusti sunt, necnon syntaxim syntheticam et pressam, atque vocabula saepe iuridica et abstractae indolis, quae multo magis ab hodiernis mentibus et popularium linguarum ingenio sunt aliena. Addendum quod formulae sacerdotales continuo intelligendae sunt a magno fidelium coetu, et quod — praeter aliquas praefationes, saltem in praesenti statu liturgiae — non frequenter per annum usurpantur. Inde intelligitur interpretem hic arduè adlaboraturum in eligendis vocabulis, atque ipso ordine et rythmo verborum, ut pastoralis muneris exigentiis satisfaciatur.

Saepe quidem archaica indole et austera simplicitate spiritualis doctrinae illo modo expressae movebitur; sed eius non est hodiernis vocabulis tam venerabiles formulas nimium aptare, quarum valor ad sanam et obiectivam pietatem efformandam, est singularis.

Ex adverso, iuxta antiquas orationes quae ex vetere thesauro romano proveniunt, recentiores in missali inveniuntur orationes, praesertim in sanctorali, quarum verbosam implicationem vel nimis emphaticam aut mollem spiritualitatem ad simpliciores formas aliquatenus redigere expedit.

2. De monitionibus

Sacerdos non tantum Deum alloquitur, in orationibus et praefationibus quas tamen populi nomine profert, ut ab ipso intelligantur; populum etiam directe alloquitur, ad erudiendum illum orationemque illius dirigendam. Hic, quam maxima aptatio necessaria est; quod plane comprobatum est in regionibus in quibus ad executionem deducta est Constitutio conciliaris, haec statuens (art. 76): « Allocutiones Episcopi, in initio cuiusque Ordinationis aut Consecrationis, fieri possunt lingua vernacula ». Quae alludebantur ad subdiaconorum mores (« Si usque nunc ebriosi, amodo sobrii; si usque nunc inhonesti, amodo casti ») multos eorum qui aderant, percellere potuerunt; constare videtur quod huiusmodi monitiones penitus aptari debeant aetatis nostrae necessitatibus, iuxta sapientem invitationem Constitutionis conciliaris (art. 35, 2): « ... breves admonitiones, a sacerdote vel a competente ministro ... praescriptis *vel similibus verbis* dicendae, praevideantur ».

III. DE ORATIONIBUS POPULI

Per verba « orationes populi », intelligo partes Ordinarii Missae quae populo competunt. De eis breviter dicendum, quamquam interpretis munus hic summi sit momenti atque difficile evadat.

Etiam in hoc campo distinguenda sunt genera literaria. Tria ergo distinguam, et modo quo legitur in Scripturis, quartum addam.

1. *De Hymnis e Sacris Scripturis derivatis*

Kyrie eleison, *Sanctus* et *Agnus Dei* ad literam e Scriptura desumuntur; maxima ergo fidelitate sunt interpretanda. Praeterea curandum est ut eorum interpretationes facile cani possint, et quidem plures iuxta melodias.

Addendum est *Pater noster*, iam a multo tempore nationum linguis conversus, sed cuius conversio forsitan emendari posset, generalis institutionis liturgicae occasione.

2. *De Gloria et Credo*

Ecclesiastica sunt opera, ast inter venerabilissima; privilegiatam enim christianorum fidei expressionem constituunt. Convertantur ergo non solum accurate et fideliter, sed insuper ea styli firmitate qua facile memoriae tradi valeant.

Illae duae orationum ac cantuum populi species quasdam difficultates prae se ferre possunt; quod non est grave, tum quia preces illae iam ab infantia accuratae catecheseos materia esse debent, tum quia earum continua iteratio eas omnibus citissime familiares efficit.

3. *De monitionibus brevibus et acclamationibus*

Ad quantitatem quod attinet, verba haec valde brevia sunt; momentum vero eorum insigne. Nam dum canit *Amen*; *Et cum spiritu tuo*; *Gloria tibi, Domine*; *Deo gratias*; *Habemus ad Dominum*; *Dignum et iustum est*, populus christianus propriam sacerdotalem participationem ad actionem liturgicam exercet; eorum ergo interpretatio sit, ut patet, accurata, perspicua, cantui apta atque facile intelligenda.

Insuper particularem exigentiam praeseferunt, nempe ut indefinite iterari possint quin taedium afferant. Unde arcenda est ab eorum inter-

pretatione quaelibet affectatio atque inanitas, qua imprimis ratione, renuimus in Gallia interpretari « Et cum spiritu tuo » per « Et avec vous aussi », vel « Ite, missa est » per « Allez, la messe est finie ». Quas eligimus formulas: « Et avec votre esprit », « Allez dans la paix du Christ » diutius permansurae visae sunt, ob maiorem earum religiosam ubertatem.

Ex illarum formularum iteratione atque populari indole, duo alia sequuntur. Primo — saltem ex gallica experientia dicimus — acrioribus et frequentioribus censuris quam omnes aliae interpretationes sunt subiectae. His censuris quidam responderunt: « Agitur de experimentis ad tempus factis ». Huiusmodi responsio non proba videtur; nam continua formularum usurpatio citissime ad duplicem exitum perveniet: ex una parte, impellente consuetudine tamquam mirae amplius non habebuntur, earumque defectus et ipsi iam non percipiuntur. Ex altera parte, quia omnibus consuetae erunt, impossibile evadet ut mutentur, etiamsi revera aptiores formulae inveniantur.

4. *De Sequentiis*

Denique commemorandae Sequentiae, sed ut statim dicatur quod quaestionem ponunt quae enodari nequit. In principio, populares cantus esse voluerunt, qui turbarum participationem foverent. Quae in Missali Romano remanserunt, christianae poeseos iure meritoque gemmae habentur, sed iam non multum conveniunt cum populi sentiendi modis, et earum vis poetica paene omnino evanescit cum in aliam linguam convertuntur. Quod damnum, ut videtur, vitari nequit sed de eo dolere plane licet.

CONCLUSIO

Brevissima esse poterit conclusio, cum haec conferentia pars sit cuiusdam totius, et quae sequuntur iterum suscipient nonnullas quaestiones, ubi eas reliqui.

Attamen vellem ut confratres interpretes invigilent contra tentationem quandam, scilicet animum demittendi prae muneris difficultatibus, optantes ut potius liturgia hodierna mutetur, quam illam fideliter interpretentur. Huiusmodi tentationi non est obsequendum. Cuique munus suum, et unaquaeque res in suo tempore. Si interpretes coniun-

gere sciant quam maximam fidelitatem erga textus cum fecundissima solertia quoad exigentias linguae vivae et popularis — at numquam ignobilis — paulatim creabunt linguam, qua liturgica instauratio, quae sit viva et creatrix audacter utatur, sed modo qui non discedat a vera et authentica traditione Ecclesiae.

A. M. ROGUET, O. P.

Editio Actorum Congressus ab his editoribus paratur:

lingua italica: LIBRERIA EDITRICE VATICANA.

lingua gallica: EDITIONS DU CERF, 29 Latour Maubourg, *Paris* 7^e.

lingua hispanica: APOSTOLADO LITURGICO, Apartado Aereo 2072, *Medellín* (Colombia).

lingua lusitana: ORA ET LABORA, Mosteiro de Singeverga, *Negrelos* (Portugal).

Bibliographica

In hac « rubrica » elenchabimus publicationes, quae ad Redactionem mittuntur. A iudicio operum abstinebimus, salva una aliave adnotatione characteris pure editorialis. Ipsa inscriptio cuiusdam operis in hoc elencho nullum includit operis iudicium

L. ALMARCHA HERNANDEZ, *Arte Sacro. Doctrina y normas*. León, Junta nacional asesora de Arte sacro, 1965. In-8°, 83 pp.

The Commentary on the Constitution and on the Instruction on the Sacred Liturgy. Edited by Rev. A. BUGNINI and Rev. C. BRAGA, CM. Translated by Rev. P. Vincent MALLON, MM. New York, Benziger Brothers, 1965. In-8°, 441 pp.

W. G. HEIDT, OSB, *A short Breviary for religious and the Laity*. Collegeville, The Liturgical Press, 1962. In-24°, 1568 pp.

The Hours of the Divine Office in English and Latin. Collegeville, The Liturgical Press, 1963-1964. 3 voll. in-16°.

Lauds, Vespers, Compline in English. Reprinted from *The Hours of the Divine Office in English and Latin*. Collegeville, The Liturgical Press, 1965. In-16°, 882 pp.

M. MORGANTE, P. MASSI, N. ASTOLFI, F. MARINELLI, B. RICCITELLI, N. SEGHETTI, *La santa Messa, mistero pasquale*. Roma, Edizioni Paoline, 1965. In-16°, 503 pp.

M. MORGANTI, OFM, *Saggio di bibliografia sull'Anno liturgico*. Estratto dall'« Annuario del parroco 1966 », pp. 175-199.

Pastorale Liturgie. Vorlesungen, Predigten und Berichte vom Liturgischen Kongress Berlin 1965. Leipzig, St. Benno Verlag, 1965. In-8°, 188 pp.

V. RAFFA, *Commento alle « Orazioni sulle offerte » delle domeniche*. Milano, Opera della Regalità di N. S. G. C., 1965. In-16°, 321 pp.

M. J. R. TILLARD, *Le sacrement, événement du salut*. Bruxelles-Paris, 1964 (col. Etudes Religieuses, n. 765). In-16°, 128 pp.

F. VANDENBROUCKE, OSB, *Les psaumes, le Christ et nous*. Louvain, Centre Liturgique, Abbaye du Mont César, 1965. In-16°, 103 pp.

Ufficio per l'Unità dei cristiani. Sotto il Monte-Bergamo, Centro di studi ecumenici, 1966. 22,5 x 11,5 cm., 28 pp.

Graduels - Traits - Alleluias en chant français pour les dimanches et fêtes. 1, de l'Avent à Pâques. Paris, Les Editions du Cerf-Desclée, 1965. 25 x 19 cm., 32 pp.

Huius fasciculi complementaris est alius eiusdem formae:

Accompagnéments. Graduels - Traits - Alleluias. 1. Par. L. BONFILS. 64 pp.

Parvus libellus continet melodias pro cantibus inter lectiones occurrentibus, approbatas a « Commission interdiocésaine de Cambrai, Lille, Arras » et ab Exc.mo De Kesel, Praeside Commissionis liturgicae Episcoporum Belgii. Insimul colliguntur modi musici iam editi, annis 1962-1965, ab « Eglise qui chante » pro cantu psalmi gradualis, forma responsoriali, pro diebus dominicis et festis. Illae melodiae tamen noviter expoliuntur, auxilio experientiae, et novis exigentiis liturgiae restauratae aptantur ita ut, iuxta decreta Episcoporum Galliae (14 oct. 1964) et Belgii (10 dec. 1964) etiam in Missis in cantu cani possint. Ipsae coniungitur Alleluia vel Tractus. Textus desumitur vel a *Missel latin-français*, vel a *Psautier de la Bible de Jérusalem*, a Coetibus Episcoporum Galliae et Belgii approbatis, ut possibilitas habeatur in canendis versiculis psalmorum seligendi inter formam psalmodicam vel strophicam.

Publicatio huius fasciculi characterem habet « provisorium », et eo tendit ut haec pars Missae melius in luce ponatur et simul continuas habeatur inter usus iam existentes et ulteriorem evolutionem in ritibus et in melodiis. Nullum praecudicium inferre intendit definitivae reformationi huius partis Missae nec viam praeccludere vult novis creationibus musicis (cf. *Avertissement*).

Le chant liturgique après Vatican II. Paris, Editions Fleurus, 1966. In-16°, 247 pp.

Continet acta Hebdomadae Internationalis Studiorum de Cantu sacro in hodierna instauratione liturgica, apud Universitatem Friburgensem in Helvetia, diebus a 22 ad 28 augusti 1965, celebratae (cfr. *Notitiae*, 1 [1965] 318-319). Sub prelo sunt etiam editiones aliis linguis magis usitatis.

VARIA

CONVENTUS

Commissio liturgica hispanica conventum selectorum virorum in re musica peritorum promovit, et diebus 3-5 ianuarii 1966 celebravit. Musici artifices studio munerum Musicae sacrae a Constitutione liturgica praestitutorum incubuerunt et problemata nova e textibus liturgicis lingua hispanica exaratis exurgentia examinauerunt. Fuit amabilis conversatio communis inter omnes qui pulchritudinem liturgiae in cantu celebratae amant, quique proinde expostulant ulteriorem et ampliorem collaborationem omnium peritorum, clericorum et laicorum, sive in re musica sive in liturgia, ut opus perficiatur verae Musicae sacrae et liturgiae dignum.

SCOPULI

* *Notitiae* obiurgantur (*La Maison Dieu*, 83 [1965] 186) quia aliquam solutionem dederunt, quae videtur *Ritui servando in celebratione Missae* contradicere. Dicebatur enim (cfr. *Notitiae*, 1 [1965] 253, n. 71) celebrantem posse *Te igitur* inchoare, quando *Sanctus* a schola tantum, musica « polyphonica » canitur.

Responsio non erat conformis omnino « literae » *Ritus servandi* (61) et *Ordinis Missae* (31), sed « spiritui » utique. *Sanctus* revera est et adhuc magis esse debet cantus totius plebis sanctae Dei. Sed requiritur cantus qui sit simplex et facilis, ita ut revera a tota congregatione cani possit. Experientia constat sacerdotes non expectare finem cantus « polyphonici » qui nimis protrahitur. Consulto enim dictum est: « *Interim* opportunius videtur », situationem actualem attendendo. Principia renovationis liturgicae his exordiis cum praxi existente saepe componi debent, ut in melius paulatim res evolvantur.

* *The Book of Catholic Worship*, in *Notitiae*, 1 (1965) 318, nuntiatus est uti opus « Commissionis liturgicae nationalis Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis ». Re quidem vera a « Liturgical Conference » paratur. Nullam ergo induit vestem officialem.

Missa pro Iubilaeo extraordinario

Editio typica

Fasciculus in 4°, cum latiore margine, ut omnibus Missalibus aptari possit. Pp. 24 - L. 400 (\$ 0,70).

Extraordinarium Iubilaeum, quod Beatissimus Pater Paulus Pp. VI, Concilii Vaticani II veluti coronam, die 7 decembris 1965 indixit ac promulgavit, in singulis catholici Orbis dioecesibus celebrandum, ita ordinatum est ut « suam sedem ac veluti domum habeat aedem cathedralem, atque in uno Episcopo, concreditarum sibi ovium Patre et Pastore, nitatur » (Const. Apost. *Mirificus eventus*). Opportunum proinde visum est, ut etiam per liturgicos textus, in praecipuis huius sacri Iubilaei celebrationibus eucharisticis adhibendos, eadem praeclara notio Pastoris et Ecclesiae pressius exprimatur et extollatur.

Fasciculus continet Missam peculiarem *extra tempus paschale* adhibendam, et idem schema cum nonnullis variationibus pro *tempore paschali*; insuper orationem fidelium, melodiam novae praefationis, cantus simpliciores, et indicationem melodiarum e Graduali Romano depromptarum.

Decretum, quo Sacra Rituum Congregatio Missam promulgat, clare statuit quibus in adiunctis haec Missa adhiberi valeat.

Fasciculus cum versione italica, a Conferentia Episcopali italica probatum: *Messa per il Giubileo straordinario*. Libreria Editrice Vaticana - Marietti - Daverio, 1966. 32×23 cm., pp. 12. L. 350.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

Dialogo con Dio

Riflessi liturgici *nei discorsi* di Paolo VI

1 vol. in-8°, pp. 140, L. 1.000 (\$ 1,70).

Secundum est volumen collectionis *Documenti e Sussidi di « Notitiae »*, in quo colliguntur sermones vel excerpta e sermonibus Summi Pontificis Pauli VI, quae spectant ad documenta recentiora instaurationem liturgicam spectantia et ad eorum spiritum, ad principaliora festa vel celebrationes anni liturgici, vel ad Liturgiam in genere.

Inde a die promulgationis Constitutionis de sacra Liturgia (4 dec. 1963) usque ad secundum eius anniversarium diem (4 dec. 1965), Beatissimus Pater, 74 vicibus, sive in sermonibus officialibus, sive in celebrationibus peculiaribus vel in amabili collocutione cum populo Dei, ad Patrem communem invisendum affluente, de magnis thematibus sacrae Liturgiae locutus est, uti, v. gr., de cultu divino, de praesentia Christi eiusque salutiferi operis in actionibus liturgicis, de mysterio paschali, de necessitate et forma actuosae participationis, de oratione publica et privata, de animo quo instaurationis liturgica accipienda est.

Ex his, vivida, fervens ac actualis catechesis liturgica eruitur, captui sive doctorum virorum, veluti artificum vel musicorum, sive puerorum, vel simplicis et humilis populi alicuius paroeciae, accommodata.

« Consilium » ergo — uti dicit Em.mus Card. Iacobus Lercaro in praefatione — ab ipso Summo Pontifice Paulo VI ad Constitutionem liturgicam exsequendam deputatum, gaudens de ista pretiosa catechesi, grato ac filiali animo vult illam conservare et omnibus in exemplum et auxilium praebere.

Sermones Summi Pontificis modo chronologico referuntur. Attamen accuratus index analyticus faciliorem reddit aditum ad ea quae, quocumque momento, utilia sunt.